8 Accepi Literas Excellentiæ tuæ ad me per hunc ta-
bellarium scriptas, ex quibus percepi priuatum
luctum t. p. cum publico totius Ecclesiæ, propter
Reuerendissimi uiri D. Philippi Melanthonis,
piæ memoriæ, nostri preceptoris perpetua ob-
seruantia & gratitudine colendi, obitum, acer-
biorem eo esse, quod t. e. tamquam uir sapiens
ætate etiam, experientia, atque ex diuinis literis
edoctus, quid omnibus temporib. talium uirorum
interitus, & nostro nunc tempore presertim tanti
uiri mors, tam Germaniæ, quam Catholicæ Ecclesiæ
mali denunciat, ac portendat. Et cum sit
uerissimum, paulo post horrendas calamitates
secuturas esse, & imminere iamiam, quas pre-
cessit exundatio ubique tanta, quantam multis
annis nemo cogitabit fuisse maiorem, cum mag-
na etiam iactura hominum, tum fructuum terræ,
quæ toti Germaniæ famem, & pestem adferet.
Hanc pœnam bene meritam a nobis, deprecemur
intercessione Mediatoris nostri, Filij Dej, domini
nostri JESV Christi, & oremus has, ut auertat
Deus, uel saltem leniat, cum sit eius propensissima
uoluntas ad saluandum potius, quam ad perdendum
eos, qui resipiscunt, & ad eum confugiunt.
Cæteris autem papisticis, & Flacianicis turbis
falsarum opinionum defensorib. & lites non necessa-
rias querentibus, erunt hæ pœnæ tristiores, &
intollerabiliores eo, quod Dej bonum in tanto uiro
toti mundo exhibitum, sua quadam petulantia
deprauarunt, & spreuerunt, Ac quotidie sine
cessatione aliqua, in maiores ruunt cæcitates,
ac suas quasdam opiniones confirmare student,
contra totius Ecclesiæ iudicium, & uerbi Dej

C 107 f. 9.1